Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

concepit et peperit filiam, ne forte virum concepisse ac iniquitatem peperisse suspicaretur. Iussit enim pharao masculos id est virtutes occidi et feminas id est vitia criminaque servari. Ceterum ad tuam confusionem o iudee semper infelix, Osee propheta in quo loquendi dominus principium facit ingredi eum ad hanc mulierem fornicariam quasi ad eam que degentibus est que concepit et peperit filiam. Et dixit ei dominus: Voca nomen eius Absque misericordia, quia non adiciam ultra misereri Israel, scilicet secundum carnem qui Israel est, sed oblivione obliviscar eorum, et domui Iuda miserebor. Vides quod et illa fornicaria mulier concepit filiam ut tu esses sine misericordia. Concepit inquit et peperit filiam. Quare? Ut tu iudee fores in oblivione coram domino, ut lumen perderes quod de oculorum te visione iactabas, ut cecus et mutus et surdus efficereris, qui lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum natum de hac sacratissima virgine de cuius conceptione inpudenter quasi non sancta causaris, intueri loqui et audire sprevisti. Ergo iudee lege oracula, disce vaticinia, volve prophetas, contemplare scripturas, et si fideliter intelligis comperies minime inmodum huic sacratissime virgini nil sermonie vivacissimeque virtutis vivificantis speciei gratie defuisse, que omni sanctitate concepta nata et dei filium peperisse in sua perpetua virginitate celesti super radiante mysterio veraciter et inconcussa ratione probatur. Itaque omnis chorus orbis, omnisque mundus ad diem hanc festivam sacratissime conceptionis regine celi concurrite, vota pudica et preconia laudum id est vitulos labiorum vestrorum domino universorum et beate Marie semper virgini devotissime reddite, atque voce canora iubiloque mentis per intimo pectore omne virtutis tripudium ad laudem tam sacratissime conceptionis pangite. Pange lingua gloriose conceptionis articulum quo beata virgo concepta est, pange seminarium, nullum corpus tam beatum emanavit de virili consortio, ita vatum atque latum sicque datum pro mundi remedio. Sed in hac conceptione ipsi celi pro sonori ipse cantus et concentus ipsa supra gloriose vocis concentum assit dulcis armonia et psallat: Rorate celi id est septem spiritus qui sunt ante thronum dei desuper id est de alto divine caritatis et nubes id est sancti prophete qui pluunt verbis et coruscant miraculis de suis oraculis pluant iustam beatam scilicet et intemeratam virginem Mariam. Aperiatur terra id est uterus venerabilis Anne et concipiendo in utero germinet salvatricem virginem hanc ineffabilem que mundi salvatorem genuit. Addit quoque sub metaphoricos: Ecce mulier Anna in utero concipiet quod auro presentiam traductione sancti germinis accipiet et pariet filiam et vocabitur nomen eius Maria id est stella maris que altum mundi pelagus illuminat. Ad hanc igitur gloriosam conceptionem cantate canticum leticie sicut fecit olim post transitum maris rubri Moyses cum submerso pharaone domino tympanizavit dicens: Cantemus domino gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare. Sic et nunc in sexu femineo in conceptu isto spiritu gloriose in hominis humanitate in hac sacra conceptione deiecto pestifero et fracto mortis curriculo vere honorificatus est, quia equum et ascensorem id est superbiam et leviathan superbissimum proiecit in mare, id est in homines et angelos malicia et iniquitate amaros, in hac inquam sacra conceptione in hac die sacratissime virginis tamquam in sagittis acutis que confixe sunt in corde inimicorum REGIS.

XXVIII.

Incipit prologus in vitam active et contemplative et de miraculis B. Marie V.

VENERABILI ac in Christo plurimum dilecto fratri suo immo totius nostre congregationis in ipso patri et domino A. sola professione monachus universum debitum amoris ut patri, timoris ut domino. Cum incertis et occultis divinorum iudiciorum infirmo gradu mee considerationis conteror, invenio causam quare lugeam aliquos ex his qui dormierunt, quia scilicet in hoc ipsum positi ad hereditatem propere festinarent et in novissimo benedictione caruerunt. Videas adhuc hodieque festinare plerosque et similis exitus ruinam minari. Nos autem non sic. Et quidem de illis deus viderit. Quid enim ad me iudicare alienum servum? Suo domino stat vel cadit. De vobis et ad vos loquar dominum meum. Vos inquam non sic. Circumduxit vos deus et docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui. Tandem vero ei que per varias temptationes fideles probavit et cognovit, et recognovit sessionem suam et resurrectionem suam. Hic sane debitus ascendendi ordo et modus est precognitus in patribus exhibitus in domino predicatur a domino, ut scilicet recumbas in novissimo loco donec dicatur tibi qui te invitavit.